

inter se, vel ad stellas fixas, in qua distantia sese suo lumine & influxu notabiliter iuuant uel impediunt: sunt autem tales aspectus 5: Coniunctio, quando 2. planetæ in eod. gradu Zodiaci, conueniunt. Sextilis, quando per sextam partem circuli, hoc est per 60. gradus distant. Quadratus, quando per quartam partem circuli seu 90. grad. Trinus, ubi per tertiam partem circuli, id est 120. gradus. Oppositus, cum per medietatem circuli seu 6. signa, hoc est 180. gradus à sese mutuò remouentur. Atq; hi aspectus sumuntur ab aliquibus secundum gradus æquinoctialis; ab aliquibus secundum gradus Zodiaci. Quod si contra successionem signorum computentur, dextri; si secundum successionem, sinistri dicuntur.

Hic prænotatis, ut aspectus planetarum noscas, inuentis veris locis planetarum, numera vel in Zodiaco, vel in æquinoctiali, qui per limbum Astrolabij repræsentatur, gradus distantia: quod si 60. gradibus distent, dicas esse sextilem: si 90, quadratum: si 120, trinum, si 180. oppositum. Quod si verò non præcisè inuenias numerum grad. dictorum, sed minus 4, vel 5. gradib. tunc dicas esse applicationem ad talem vel talem aspectum. Dicuntur autem sextilis & trinus, boni & amicitia: Quadratus verò & oppositus mali & inimicitia aspectus.

**HOROSCOPVM SEV GRADVM ASCENDENTEM**  
in annorum reuolutionibus inuenire.

Propos. XXX.

Gradum reuolutionis in aliquo anno scire nihil aliud est, quam scire gradum ascendentem tempore introitus solis in arietem; quemadmodum gradum reuolutionis in aliqua Natiuitate, scire nihil aliud est, quam verum locum solis & horoscopum seu gradum ascendentem nosse in illa genitura. Habito igitur gradu ascendente alicuius anni verificato, pone illum super primum Almicantharath seu parallelum & regulam su-

F 3 per